

**Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum**

**Fecht, Johann**

**Francofurti et Spirae, 1684**

**VD17 VD17 3:315948Z**

LXXXVIII.

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-122751)

de hoc sancto & utili labore tuo, ac primum Filio DEI gratias ago, qui te excitavit ad subeundum hunc laborem; Deinde etiam totius Ecclesiae nomine tibi gratiam habeo, quod veritatem tanta cura & contentione adserere & tueri conaris, contra adversarios, tam misere suis erroribus fasciatis, ut admittere sanam sententiam nolint. Oro etiam Filium Dei, ut multos hanc methodum tuam studiose legentes, ad veram sententiam amplectendam flectat. Nec dubito, te irritasse crabrones Heidelbergenses, Tigurinos, cum aliis multis, & quicquid est ubique istius lenae in Germania & alibi. Quare te oro, quid hujus absurdi dogmatis propugnatores jam moliantur, quidve tibi negotii faciant, mihi significes. Revertuntur ad nos duo equites, qui hunc Guilielmum ad vos comitati sunt: cum illis ergo aliquid literarum ad me mittas, rogo. Sed plura nunc addere non licet, & haec satis multa sunt. Oro autem, ut huic loquacitati meae ignoscas, & rescribere ne graveris. Vale in Christo felicissime cum omnibus tuis, & tota Ecclesia Argentinensi, aliisque vicinis, verum doctrinae Evangelii consensum una nobiscum profitentibus. Datae III. Idus Septembris Anno 1565.

Tuis

Streitbergerus.

## LXXXVIII.

**S**. D. Etsi nudius tertius ad te Epistolam dedi bene longam, Reverende & Clarissime Domine Doctor, frater & amice colende, qua tibi commendavi Guilielmum de Kindsperg, adolescentem nobilem: hoc tamen homine, viro bono, cive vestro, me accedente, & petente à me aliquid literarum, hortatu enim quorundam amicorum ad me venit, qui confirmarunt illi, me undecunque venari occasiones ad te scribendi; gratum mihi fuit hoc officium illius, & hanc illam ad te Schedam dare, volui, testem amicitiae nostrae cum apud ipsum, tum alios quosvis. Ac cum nihil habeam, quod ad priorem illam Epistolam addam, hoc tantum repeto, si Doctori Gremio non licuerit curam agere & rationem habere Guilielmi propter negotia, eum ad te recipias, & lecto & mensa digneris, ac de praeceptore aliquo illi prospicias, qui ingenio & captui illius sese accommodet. Nam qualis sit progressus ejus in literis, proxima tibi Epistola significavi.

Ea est virtus & humanitas propinquorum ipsius, ut omnium amore & benevolentia digni sint, praesertim Johannis Friderici de Kindsperg, praefecti provincialis, autoritate & sapientia praestantis. Non igitur te poenitebit adolescenti profuisse. Bene in Christo vale, Subito. Idibus Septembris, 1565.

Streitbergerus.

LXXXIX.